

VI.

Translatio Corporis Sanctæ Euphemiae.

(Ex Codice Membr. sæc. XIII vel XIV in Archivio Capituli Rubini).

Temporibus *Decij*¹⁾ cesaris imperatoris quibus innumera Xpianorum (Christianorum) multitudo circumquaque in universo orbe ad celestem patriam per diversa tormenta curebat. fuit quedam sanctissima mulier Eufemia nomine natione romana. que ex ipsius passionis istoria declaratur. cum annorum quindecim passa multa corporis supplicia. et sic defuncto ejus corpore. anima est celestis sedibus collocata. Hoc igitur integrum deo amabile corpus. a quadam religiosissima. in archa saxea quam dudum fabricare ceperat. honorifice condidit. Sed incertum est utrum cogente pestifera persecutione acolarum desidia. permultorum temporum spacio archa predicta cum venerando corpore. nec templi lumine extitit premunita. nec debiti honoris obsequio permulgata. sed quodam imani saxo superposita. et ex diviso modo exterioris saxi ardua superficies corporeis aspectibus apparebat. Illud inventi lapidis ornamentum. quod interius corruscabat. interioribus hominum lumilibus patescebat. Quod profecto. fieri nemo sapientium aliter arbitrari potest. nisi quia illius civitatis incole. sive pro perfecte dei ignorantia. sive proborum actionum penuria. circa recta divinaque lucis studia torpentes. hoc tanto lumine decorari nullatenus merebantur. Erat quippe illis egrotantibus fons proximus sospitatis. Sed medicine poculum querere nesciebant in ipsa preclari gurgitis unda. Avolutis tandem. ut diximus. annorum curriculis. quibus religionis illius cecitatis ad expetendum celestis medicaminis solatium non meruit excitari. Disposuit omnipotens deus lucernam. que diutius sub modio tenebroso tenebatur more inexplicabilis potentie sue humanis aspectibus reserare. ut sibi qui in sanctis suis semper est gloriosus in terris a mortalium linguis honoris laudes excrescerent. cui in celis

¹⁾ Quel *Decij* è scritto in carattere diverso con inchiostro più nero sopra una visibile raschiatura. Doveva essere *Dani Diani*, cioè *Diocletiani*.